

Romani Pontificis ita ut ea necessaria crederetur ut convenirent Episcopi in Synodum, iubens eosdem convenire, iisque potestatem faciens decernendi; idem de omnibus dicendum erit. Atqui liquet historice ita convocatum fuisse Synodum Chalcedonensem. Etenim Pulcheria Augusta desiderans Concilium a Leone (epist. LXXVII. ibid.) ait: « propterea tua Reverentia quocumque modo perspexerit, significare dignetur, ut omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciae atque Illyrici, sicut etiam nostro Domino piissimo Imperatori meo coniugi placuit, in unam civitatem velociter ab Orientalibus partibus *valeant convenire*: et illic facto concilio, et de catholica confessione, et de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides et christiana pietas exigit, *te auctore* (σου ἀβεντουυτος potestatem faciente, ius conferente) *decernant* ». Postulabatur scilicet Leonis consensus vel imperium, ut Episcopi *valerent* convenire non quidem potestate physica, quam solus Imperator conferre poterat (cf. dicta paulo ante): ergo potestate iuris. In Synodum vero coacti Episcopi decernere debebant *auctore Leone*, h. e. auctoritate ab eo accepta, eiusque magisterium secuti. Et sane Gelasius ad Episcopos Dardaniae testatur quod « Apostolica Sedes pro veritate, ut Synodus Chalcedonensis fieret, *sola decrevit* », sola nempe per auctoritatem iurisdictionis, qua potestas fieret Episcopis constituendi Synodum, et de rebus fidei pro universa Ecclesia decernendi: nam ex praecepto etiam Christianorum Principum synodum convocatum esse asserit Leo epist. CXIV. qua confirmat acta Synodi in fidei causa. Tandem in eodem Concilio Act. I. Dioscorus est reprehensus a legato Pontificis, universa Synodo probante, quia « Synodum Ephesinam (quae universalis esse debebat, sed in latrocinium conversa est) ausus est facere (auctoritatem nempe sibi in Synodo usurpavit hancque habuit) sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam licuit aut factum est. » Auctoritas ergo Apostolicae Sedis necessaria censebatur, ut Synodus haberetur, eaque auctoritas necessaria credebatur ut Synodus haberi posset, quae esset auctoritas conferens potestatem ut Synodus fieret et synodice ageretur. Et sane auctoritas Apostolicae Sedis non est nisi auctoritas supremæ potestatis; hæc porro necessaria non est nisi ut præcipiat Synodum agi et potestatem conferat. Synodus ergo Chalcedonensis quae hanc sententiam probabat, sciebat se fieri hac necessaria auctoritate Apostolicae Sedis. Ergo.

Praeterea, quod pro omnibus conciliis universim valet, principium erat Ecclesiastici iuris: *non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari* (Th. XVII. pag. 457.) quod et audivimus mox a Paschasino legato Romanae Sedis; *numquam licuisse absque auctoritate Apostolicae Sedis Synodum celebrari*; atqui hoc

iure vigente necesse fuit ut Romanus Pontifex convocaverit Synodos oecumenicas omnes convocatione coactiva.

Socrates quidem L. II. c. 17. refert sententiam Iulii hoc pacto: *cum ecclesiastico canone interdictum sit ne præter sententiam γωμην Romani Episcopi quidquam ab Ecclesia decernatur*. Sozomenus autem I. III. c. 10 idem referens ait: *legem esse sacerdotalem ιερατικον νομον ut pro irritis habeantur quae præter sententiam παρα γωμην Romani Episcopi fuerint gesta*. Ergo secundum ecclesiasticum canonem caret vi Synodus aliquid decernendi sine voluntate aut auctoritate Romani Pontificis, irritumque est quidquid ipse non probat. Ut ergo Synodi vim habeant oportet eius auctoritate illas convocari, ipso potestatem faciente decernendi aliquid pro Ecclesia.

Tandem cum certa sit historica veritas convocationis factae a Romano Pontifice; cuiusmodi fuerit convocatio colligi debet ex potestate convocantis, et ratione cur eius convocatio requiri potuerit: atqui potestas Romanae Sedis est potestas iurisdictionis in Episcopos, quae eorum actus moderatur et regit; neque ratione habita Primatus alia ratio excogitari potest cur postularetur convocatio Pontificis nisi quia potestatem ipse facere debet Episcopis ut decernant: ergo convocatio Synodi facta a Rom. Pontifice erat coactiva.

Cum itaque contingit legi in literis Romanorum Pontificum se obedire praecepto Imperatorum, et concilia convocare ut eis obediant, quemadmodum occurrit in literis citatis Agathonis, eae sunt formulae modestae quibus non formalis obedientia Pontificis, quae in his rebus repugnat (§. XVIII), significatur, sed materialis, h. e. consensus in illud idem quod Imperatores desiderabant, et quantum in ipsis erat, praecipiebant. Idem dicendum de illis formulis obsequii quibus Patres absolutis synodis oecumenicis gratias agentes Imperatoribus se ab iis convocatos asserunt; ut videre est in sermonibus prosphonicis ad Imperatores, vel etiam Patres Synodorum provincialium idem asserentes, ut videre licet in epist. X Ambrosii ad Gratianum et Valentinianum nomine Synodi Aquileiensis. Loquuntur enim Patres de convocatione ministeriali non coactiva.

b) Constat autem solos Romanos Pontifices huiusmodi iure legitime usos esse aut uti potuisse. Dicimus *legitime*; non enim agimus de aliqua violenta usurpatione, quae effectum quidem physicum habere potest, non vero moralem. Sane vel Pontifices Romani vel Imperatores eo iure usi sunt vel Episcopi ceteri. At evidens est creditum fuisse carere Imperatores eo iure. Id enim patet ex diserta doctrina Patrum illius aetatis asserentium nullum ius esse Principibus in res Ecclesiasticas, munus Principum esse famulari Ecclesiae;

potestatem regiam collatam esse a Deo ad praesidium Ecclesiae. Haec iam dedimus in § citata.

Creditum est quoque eo iure carere alios Episcopos vel Patriarchas, ut ex reprobatione Dioscori suaque Synodi ephesinae patet.

Ergo ius coactivae convocationis nunquam spectavit nisi ad Romanum Pontificem.

IV. Romanus Pontifex ius habet praesidendi Conciliis oecumenicis, non praesidentia tantum honoris, sed iurisdictionis. Ius enim praesidendi sequitur naturam sui Primatus: atqui Romanus Pontifex habet Primatum iurisdictionis in universos Episcopos etiam collectos. Id iam demonstravimus Th. XII. quod praeterea ex hactenus dictis magis confirmari potest. Et re quidem vera Episcopi coacti in Synodum non differunt a se ipsis manentibus singulis in suis Ecclesiis nisi ratione actionis; quatenus in suis Ecclesiis singuli seorsim agunt, in Synodo vero actiones singulorum conferuntur, unaque prodit actio communis. Quoad esse vero idem est coetus Episcoporum dispersus et unitus: Ecclesia enim semper est una, unum corpus. Iam vero universus coetus collectus Pastorum non nisi a Romano Pontifice potestatem habet decernendi actione communi leges pro universa Ecclesia (part. praeced.): iurisdictioni ergo Romani Pontificis subest totum Concilium. Idem ex praerogativa infallibilitatis rursus confirmari potest. Potestas enim docendi potestas est iurisdictionis: porro potestati docendi Romani Pontificis subest universus coetus Episcoporum, qui a Romano Pontifice infallibilitatem mutuatur, eiusque sententias sequi debet. Et sane necesse est ut decreta fidei edita a Concilio sint infallibiliter vera, decreta morum sint infallibiliter honesta; nequit enim Ecclesia regi legibus iniquis: atqui Episcopi etiam simul sumpti potestatem non habent ex se condendi huiusmodi decreta; ergo ratione potestatis non sunt pares coetus Episcoporum et Romanus Pontifex.

Romanus Pontifex semper praefuit Conciliis oecumenicis, quae celebratione oecumenica fuerunt, praesidentia iurisdictionis vel per se vel per suos legatos, ut in prioribus Conciliis in Oriente. Sane in Concilio Ephesino legati de ceteris iudicare debebant non subire certamen, si quaestio aliqua exorta fuisset (pag. 537), Patresque Ephesini testantur se coactos a Caelestino proferre sententiam in Nestorium (ibid.). In Chalcedonensi legati Pontificis formam afferbant quam Patres in iudicando servare deberent (ibid. seq.). In Synodo VIII. iubentur a legatis Patres Act. I. subscribere formulae Fidei a Pontifice propositae (pag. 544. seq.). Praesedit ergo Pontifex per suos vicarios seu legatos praesidentia iurisdictionis. Atque haec satis sunt ut iudicium de aliis conciliis in Oriente feratur. Hoc

ergo est ius, et hic honor Petri, de quo loquitur Leo cum ait praesentiam suam a Synodo flagitalam fuisse (epist. XCIII ad Synod. Chalced.) *b. Petri Apostoli iure atque honore servato*: ius scilicet erat quod pro omnibus Synodis valebat, ius autem erat praesidendi: « in his fratribus, ait, Paschasino et Lucentio Episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet *praesidere* ». Atqui ius Petri, ipso Leone teste, est ius Petrae Ecclesiae, ius Confirmatoris, ius Pastoris: ius scilicet supremae iurisdictionis; ergo praesidentia de qua loquitur Leo est praesidentia cum iurisdictione.

Et sane, quod pro omnibus Conciliis valet, in Ecclesia obtinebat *lex* Conciliorum id praeciens ut praesidentis locus tribueretur Romano Pontifici eiusve legatis. Id nos docet Synodus VII. Nam Synodus VII Act. 6. probat Synodum Episcoporum a Copronico coactam pro haeresi Iconomachiae asserenda, non posse vocari Concilium oecumenicum, quia « non habuit adiutorem Romanorum Papam nec etiam per Vicarios eius, neque per encyclicam epistolam, *quemadmodum lex edicit Conciliorum*. Atqui adiutorium praestitum Synodis a Rom. Pontifice sive per se sive per suos vicarios aut per encyclicam epistolam, si historiam consulamus, in eo erat ut Rom. Pontifex convocaret Synodum, legatosque mitteret qui Synodum moderarentur de omnibus iudicaturi, atque etiam doctrinam praeformaret necessario tenendam, quam per legatos suos proponebat. Id porro complectitur ius quoque praesidendi potestate iurisdictionis. Lex ergo erat ut Rom. Pontifex auctoritate iurisdictionis praesideret Conciliis.

Dubitarunt quidam an Pontifex praesederit priori Concilio Nicaeno; quia in subscriptionibus primus subscribit Osius cum solo titulo *Episcopi*, tum sequuntur Vitus et Vincentius cum hoc titulo: *presbyteri Romani pro venerabili viro et Episcopo nostro sancto Silvestro subscripsimus*. Verum 1) praefuit ergo Osius: at quo titulo Episcopus Cordubensis praefuit universali synodo in qua Patriarchae aderant, et in qua iura primarum Sedium adeo sollicitè (can. 6) custodita sunt? Ius praesidendi non ex merito personae sed ex dignitate Sedis dependet. 2) Testes exstant qui affirmant Osium praesedissee ex delegatione Silvestri: Eusebius lib. 3. Vitae Constantini secundum quod refert Gelasius Cyzicenus l. 2. hist. Conc. Nicaeni (Cf. Natalem Alex. H. E. Sec. IV, Diss. 42), Adrianus I in Epitome canonum in praefatione canonum Sardicensium, Leo IX in epist. ad Michaelem Patriarcham. Cf. Natalem l. c.

Dices praesedissee quoque Imperatores. Discrimen inter Pontificis et Imperatoris praesidentiam, quod quidem ex rerum naturis satis

manifestum esset, docent diserte Patres Chalcedonenses in relatione actorum in Synodo ad Leonem (inter epist Leonis XCVIII) aientes Leoni. « Tu quidem *sicut membris caput* praeeras in his qui tuum tenebant locum benevolentiam praeferens: fideles vero Imperatores *pro decenti ordine* (προς εὐλογίαν) praesidebant ».

Verum doctor Belga Gilbert (in Tract. theologico canonico an. 1687 Disp. 1^a q. III. §. 3^o) haec contra hactenus dicta statuit: 1^o de iure spectare ad Rom. Pontificem convocare Synodos oecumenicas, eisque praesidere: 2^o de facto autem plura concilia habita fuisse quae nec ipse convocavit, et in quibus ipse non praesedit auctoritative, et quae tamen habita fuere legitima ab Ecclesia. Quoad convocationem, id probat provocans ad Concilia in Oriente habita, quae ab Imperatoribus convocata fuerunt. Quoad praesidentiam concedit quidem ius habuisse Pontificem praesidendi per se, sed negat praesedissee suos legatos in iis conciliis, excepto Chalcedonensi, cuius fuit ratio specialis. Nam ut ipse ait, haec tunc ratio servabatur, ut primae Sedis Antistes, si adesset, praesideret, eo vero absente, Episcopus secundae Sedis praesideret, et ita porro. Ita in Nicaena 1^a Synodo praefuit Eustathius Episcopus Antiochenus, ut testatur Felix III epist. V. ad Zenonem Imper. ubi de Petro Fullone dicitur quod « Sanctam Sedem polluit Ignatii Martyris... , Eustathiique confessoris ac praesidentis tercentum decem et octo Patrum, qui in Nicaea convenerunt ». Cur vero non praesederit Episcopus Alexandrinus, hanc rationem reddit quia de eo simul cum Ario causa agebatur. Item Constantinopolitano 1^o ait praesedissee Patriarcham Constantinopolitanum, quem iam supponit obtinuisse secundam sedem inter Patriarchas. Ephesino praesedit Cyrillus, idque ex eo patet quod primus subscripsit non adiecta significatione legationis, secus ac fecerint ii qui Roma advenerant: subscripsit scilicet ut praeses Concilii. Concilio V praefuit Mennas et post cum Euthychius, Patriarchae Constantinopolitani. Sextae et septimae pariter Patriarchae Constantinopolitani praefuerunt qui dexteram tenebant, iuxta eos assidentibus legatis Romanae Sedis. Octavae vero Synodo, cum non interessent nisi legati Patriarchalium Sedium, iure merito praesederunt legati Romani. In Concilio IV Chalcedonensi ratio specialis fuit cur legati Romani praesiderent; quia scilicet ceteri Patriarchae defecerant a recta fide. Quae ratio ne conficta videatur, testis adhibetur ipse Leo epist. LXXXIX ad Marcianum inquiens: « Quia vero quidam de fratribus (episcopis nempe in latrocinio ephesino), quod sine dolore non dicimus, contra turbines falsitatis non valere catholicam tenere constantiam, praedictum fratrem et coepiscopum meum (Paschasinum) vice mea Synodo convenit praesidere ». Porro negat idem auctor ex ordine subscriptio-

num validum argumentum duci, nam in iis habita ratio fuit praecellentiae Ecclesiarum patriarchalium secundum se ipsas.

Iam vero quod spectat ad convocationem iam satis in superioribus responsum est. Ad praesidentiam quod attinet, haec primum notare licet in hac singulari theoria. 1^o Contradictio est in eo quod ex subscriptionibus negetur aliquid probari, et probetur Cyrillum praesedissee Ephesinae Synodo quia primus subscripsit. 2^o Ignoratio est historiae Ecclesiasticae. Nam a) falso supponitur Episcopum Constantinop. obtinuisse secundum locum inter Patriarchas, cum sub Damaso Concilium 1^o Constantinop. haberetur. b) Falsum quoque est Concilium hoc et V fuisse celebratione oecumenicum. c) Falsum est ad 1^o Concilium Alexandrum Episcopum Alexandrinum veluti reum aut actorem convenisse, ac si, quod falso supponitur, ante Nicaenam Synodum dubia esset aut esse potuerit fides de Filii divinitate. Professio enim fidei Trinitatis semper fuit explicita in Ecclesia, quam tot quoque martyres testati sunt; non ergo Patres in Nicaea convenerunt in Synodum ut duos litigantes actorem et reum, Alexandrum nempe et Arium audirent, sed ut haeresim iam manifestam profligarent, fidem tuerentur, omnesque fideles a perversione immunes conservarent. d) Falsum est dexterum locum digniorem fuisse, « quod (ut verbis utamur Natalis Alexandri H. E. sec. IV. Diss. 12) exemplo Concilii Chalcedonensis probatur: cuius in prima Actione ita dispositus legitur Episcoporum consessus, ut a sinistra parte Sedis Apostolicae legati, et post ipsos Patriarchae Constantinopolitanus, et Antiochenus, a dextris vero Dioscorus Alexandrinus quamvis proxime damnandus, et Iuvenalis hierosolymitanus sederent. Huiusmodi proculdubio consessus ex sollemni praecedentium conciliorum more desumptus fuit. Id autem duplici ratione potuit contingere: sive quod in Ecclesia Christi ad imitationem patriarchalis benedictionis Iacob, mutato rerum ordine, dextera in sinistram dignitatis causa mutaretur: sive quod Romanis pars sinistra melioris esset auspicii, teste Varrone et aliis profanarum literarum magistris, ac proinde dignior haberetur, sed illud in sacris tantummodo atque divinis quod, ut aiunt, sinistra nostra numinis dextra censeatur ». Hactenus Natalis. Porro in Conc. Chalced., ipso Gilbert fatente, praesederunt Legati Leonis; ergo primus in dextero ordine locus non erat locus praesidentis: ex quo patet etiam alia huius scriptoris contradictio, si historiam noverat. Sic pariter in sexta Synodo sederunt primo loco ad laevam Legati Romanae Sedis, primique in censu convenientium ad Synodum nominantur: in septima vero locus sedium non indicatur, sed primi semper Legati Pontificis appellantur. d) Falsum est Cyrillum absque auctoritate Caelestini praesedissee Synodo Ephesinae, ut liquet ex allatis pag. 536 seq.

Ratio ergo addita a Leone non est exclusiva, qui inter iura Petri recensebat praesidentiam in Synodis; sed supposita institutione Primatus debitaque subordinationis Episcoporum erga Romanam Sedem, ostendit nihil boni sperari posse ab Episcopis adunatis in Synodum qui absque capite suo convenient: ut ergo res bene vertant oportere ut Romanus Pontifex Synodos moderetur.

At Felix III (spuria haec epistola censetur) significat quidem Eustathium fuisse inter primos Antistites, non vero obtinuisse absolute primum locum. Nam identidem propter specialem eorum dignitatem et auctoritatem Patriarchae omnes praesentes dicuntur praesedis Synodo. Ita Cedrenus in compendio historiarum loquens de Nicaena Synodo ait: « praeerant ei Silvestri Papae Romani locum tenentes Vitus et Vincentius presbyteri, Metrophanes (Nilus Metropolita Rhodius in libello de Synodis ponit Alexandrum) Byzantii, Alexander Alexandriae, Eustathius Antiochiae, et Macarius Hierosolymorum Episcopi.

Verum quidem est in subscriptionum ordine habitam fuisse rationem praecellentiae Ecclesiarum inter se, at simul ex iis colligere licet quis Synodo praefuerit. Tenendum est enim aliquem Synodo praefuisse, quod et Gilbert concedit; is vero praefuisse dicendus est qui primus subscribit; nam ordo subscriptionum ordinem praesentat quem habent inter se Episcopi in Synodo; est enim ordo suffragiorum quae feruntur in Synodo.

Ceterum ea ratio praesidentiae, quam excogitavit Gilbert, Primatum Rom. Pontificis reducit ad quemdam primatum honoris; in hac enim hypothese tantum verum esse potest quod absente Primato ius habeat praesidendi qui alter est ab illo, licet huius legati adsint. At si Primatus est iurisdictionis, cum eius auctoritas moderatrix necessaria sit ut actus sint legitimi et validi, opus est ut legati vice eius praesentes eiusque auctoritatem Synodo praefereant eidem praesideant.

Hactenus dicta de potestate Romani Pontificis supra Concilia, tum conconvocationis tum praesidentiae, confirmantur auctoritate Leonis X in Bulla *Pastor aeternus* lata sacro approbante Concilio Sess. 11 Concilii Lateranensis V. Ait enim Concilium Basileense post abrogationem Eugenii IV Concilium amplius appellari non meruisse, « et solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem, tam conciliorum indicendorum, quam transferendorum et dissolvendorum plenum ius et potestatem habere, nedum ex sacrae Scripturae testimonio, dictis ss. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem conciliorum confessione manifeste constare ».

Cum utroque iure convocandi et praesidendi nexum est ius proponendi, seu determinandi materiam circa quam deliberandum sit, et sententia ferenda. Eius est enim determinare de qua re sit agendum ab Episcopis, qui eisdem potestatem facit per conconvocationis actum tractandi de rebus ad universam Ecclesiam pertinentibus: sicut enim poterat non vocare nullamque facere potestatem, ita potest quas vult, materias excludere, negata pro illis potestate: et sicut unus Romanus Pontifex convocare potest, ita unus ius habet statuendi obiectum circa quod versetur actio communis Convocatorum. Item eius est in Concilio determinare materiam tractandam, cuius iurisdictioni ceteri subsunt, est enim ille actus auctoritatis. Ergo. Hinc Leo noluit unquam probare quod in Synodo Chalcedonensi actum fuerat praeter id quod *in materia fidei* decisum fuerat; quia in hunc solum finem concilium convocaverat, atque miserat legatos, ut ipse testatur epist. CXIX ad Maximum Antiochen. et epist. confirmatoria Synodi.

V. Quid ergo possunt in Concilio Episcopi? Iam vidimus part. III potestatem ferendi leges, et decreta fidei edendi pro universa Ecclesia derivari in eos a Romano Pontifice. Neque demonstratio, quam huius veritatis dedimus, pendet a sententia quod iurisdictionis Episcoporum in suis ecclesiis sit immediate a Romano Pontifice. Etsi enim teneatur hanc iurisdictionem esse immediate a Deo, tamen iurisdictionis quam Episcopi exercent in Concilio dicenda est esse a Romano Pontifice. Nam actus ferendi leges pro universa Ecclesia est proprius illius auctoritatis quae suprema est, quae potest quidem participationem sui aliis communicare, sed sine cuius consensu nulla obligatio imponi potest toti societati. Atqui ex Christi institutione auctoritas suprema in Ecclesia est auctoritas Primatus quae uni competit, eademque manet sive Episcopi convocati sint sive secus; manet enim semper Petra, Confirmator, Pastor omnium: ergo.

VI. Existentes autem Episcopi in Concilio sunt iudices fidei non meri consultores. Sane ius illud non amittunt congregati quod ex munere suo habent singuli in suis Ecclesiis, imo ex coniunctione cum supremo Iudice potius ius illud perficitur quatenus ampliatur eius extensio. Sunt tamen ipsi ex sese iudices inferiores, a quorum sententia appellari potest, quorum proinde sententia irrefragabilis non est ex sese et peremptoria. Verum id, ut iam monuimus, non tollit rationem veri iudicii, sed solum specialem gradum, hoc est iudicii supremi. Et re quidem vera sententia Concilii prout talis est, habita semper fuit ut sententia iudicialis: porro sententia Concilii sive sententia conciliaris non habetur, nisi universitas vel maior aut sanior pars Episcoporum quoque consentiat. Quamvis enim Pontifex

ex se solo possit definire, nequit tamen edere definitionem conciliarem, nisi *sacro approbante Concilio*: id perpetuo in Ecclesia rentum est, et ex ipsis rerum naturis oritur; conciliaris enim sententia supponit concilium seu coetum plurium. Si autem sententia conciliaris est sententia iudicialis, et conciliarem sententiam formaliter constituit quoque consensus Episcoporum; ergo iste consensus Episcoporum est consensus iudicialis.

Attamen adverte quod cum iudex prout auctoritatem habet referatur ad eos qui subditi eius sunt, Episcopi, cum iudices dicuntur in quaestionibus fidei, spectantur in ordine ad fideles, quibus tanquam subditis et inferioribus ius dicunt, sententiamque suam proponunt. Pastores enim sunt, ideoque et iudices, ut ait Pius VI, Episcopi si populos respicias, quod si Pontificem spectes non sunt nisi oves pascendae (pag. 370).

VII. Difficultas est cum Episcoporum sententiam praevertit sententia Romani Pontificis, quid illis agere liceat, et primo cuius examinis ius ipsis competat.

Dicimus examen, cuius ius habent Episcopi, cum iam Romanus Pontifex definiit, non esse *dubitativum*, sed *comprobativum*. Declaratur primum appellatio ista duplex. Examen *dubitativum* dicitur quod incipit a dubio rei, supponit scilicet vel iure supponere potest rem, de qua quaerendum est, dubiam esse adhuc; ignorari nempe an sit vera vel falsa: eoque spectat examen ut veritas rei, si est, innotescat. Examen *comprobativum* non incipit a dubio rei, sed imo rem ipsam ponit certam; at quamvis res certa sit, ideoque aliquod eius motivum, quod certitudinem gignat, teneatur, puta auctoritas quae non fallitur: possunt tamen adhuc ignorari alia motiva quorum cognitio efficiat notitiam rei clariorem, et, si fieri potest; certiolem. Hoc examen non incipit a dubio rei, sed, quia quodlibet examen supponit aliquod dubium, incipit a dubio vel de existentia aliorum motivorum, vel de qualitate aut natura eorum. Priore examine utuntur qui dubitantes vere an anima humana sit immortalis, demonstrationem quaerunt qua primum haec veritas persuadeatur. Altero utuntur qui de ea re certi, puta ex fide, vel ex communi et universali hominum consensu, penitiora inquirunt motiva, quibus veritas magis eluceat, et firmiter retineatur.

Porro huius duplicis examinis distinctio adhibita quoque examini, cuius ius habent Episcopi in Synodis, non est arbitraria, et conficta ad praecavendas difficultates, sed obiectiva est et verissima. Etenim 1) si res per se spectetur, evidens est quod licet constet propter magisterium infallibilis auctoritatis rem esse veram; potest tamen adhuc ignorari quibus Scripturae vel Traditionis testimoniis res ipsa

asseratur, quibusque argumentis ex analogia fidei petitis eiusdem veritas intrinsece illustrari possit, quibus tandem modis eadem a cavillationibus haereticorum sit invictissime defendenda. Licet igitur instituere horum omnium examen, manente certitudine veritatis rei. 2) Si historia consulatur, evidens quoque erit examen comprobativum, excluso dubitativo, habuisse locum in Conciliis. Nam nequit certe dubitari de veritate rei, quae per oecumenicum Concilium sit definita: porro in Concilio Lugdunensi II solemniter definitum fuit Spiritum S. a Patre Filioque procedere; Romanam Ecclesiam tenere summum et plenum primatum in universam Ecclesiam: definitum id inquam est, nam probante universo Concilio ita professi sunt Graeci, et propter hanc professionem unio facta est: verum utraque veritas rursus ne dum ab Orientalibus sed et ab Occidentalibus Romanoque Pontifice, qui eam certissime credebant, ad examen revocata est in Florentino Concilio. Huiusmodi ergo examen ex parte saltem Occidentalium non fuit dubitativum, sed solum comprobativum. Praeterea in Concilio Lateranensi IV definitum est dogma transubstantiationis. Idem autem dogma rursus in Tridentina Synodo revocatum est ad examen Sess. XIII, ut contra Protestantes eadem doctrina assereretur. Et re quidem vera 3) praesto est auctoritas Leonis qui utrumque componit, nimirum Episcopos ius examinis habere circa rem ab ipsis definiendam, et examen huiusmodi non esse dubitativum. Primum docet in epist. ad Theodoretum exponens emolumenta consensus Episcoporum in sententiam Romani Pontificis: « Ipsa veritas et clarius renitescit, et fortius retinetur, dum quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmavit. Multum denique sacerdotalis officii meritum splendescit ubi sic summorum servatur auctoritas ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas ». Alterum docet epist. XCIII ad Patres Chalcedonenses inquiens: « In his fratribus Paschasino etc. me Synodo vestra fraternitas existimet praesidere, non abiuncta a vobis praesentia mea qui nunc in vicariis meis adsum et iam dudum in fidei catholicae praedicatione non desum, ut qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiamus. Unde fratres carissimi, reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi quod non licet credi, cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces apostolicamque doctrinam, plenissime et lucidissime per litteras, quas ad b. memoriae Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum quae sit de Sacramento Incarnationis D. N. I. C. pia et sincera confessio ». Debebant ergo Episcopi examen instituere rei definiendae, sententiamque suam proferre; quin